

Casus Conscientiæ.

1. *An bruta sint resurrectura?*

Resp. 1. Sacra Scriptura nusquam illud affirmat. 2. Brutorum animæ sunt mortales. 3. In bruta proprie non cadit bona vel mala actio. E. etiam non reportabunt pœnas vel præmia. 4. Deus bruta non condidit ad immortalitatem. *D. Gerhard.*

2. *Cur Deus tamdiu differat Resurrectionem piorum?*

Resp. 1. Causam docet ipse Spiritus S. *Apoc. 16.* scil. quod nondum impletus sit Electorum numerus. 2. Animæ piorum in cœlis perfruuntur æterna beatitudine, nec ullo dolore afficiuntur, quod corpora in sepulchro computrescant. *D. Gerhard.*

3. *Quo diei tempore sint homines resurrecturi?*

Resp. Thomas pugnat pro summo diluculo. Scriptura tacente quis loquetur?

4. *An illi, quos extremus dies vivos comprehendet, sine morituri?*

Resp. Negamus cum Apostolo *1. Cor. 15, 51. 1. Theß. 4, 7.* Vide Chrysostr. Theodoret. Theophyl. in h. l. immutabuntur tamen, ut id ex citatis locis palam est.

IN LOCO

DE CONSUMMATIONE SECULI.

THEOREMATA.

1. Sic dicitur, quod consummabit, i. e. finem adferet seculo, i. e. mundano statui; nam postea omnia sunt æterna futura, sive præmia, sive pœnæ. Appellatio est *Matth. 13, 29.* *σωτήρεια*, & rursus *τέλος*, sive terminus, *Matth. 24, 6.*

2. Quod Mundus sit finem habiturus contra Ethnicos, & quosdam Rabbinos, certo ostendunt 1. Dicta Scripturæ: *Genes. 18, 22. Deut. 11, 21. Job 14, 12. Psal. 102. 26. 27. Matth. 5, 18. Luc. 16, 17. cap. 21, 33. Rom. 8, 21. 1. Job. 2, 17. Apocal. 6, 13. 14. cap. 20, 11.* 2. Ratio: omne quod cepit, annihilabitur & desinet, (nisi cœleste singulare & ad imaginem Dei sit conditum.) At Mundus aliquando cœpit. E. etiam aliquando esse desinet.

3. Est vero Consummatio seculi actio Dei, qua omnes res creatæ, præter Angelos & homines, igne destruentur, ad Dei gloriam, & piorum liberationem.

PPPPP 2

Causa